



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CLXXX. An multitudo Angelorum excedat numerum rerum
corporearum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Refert S. Thom. in hoc articulo, fuisse sententiam Arist. lib. 12. Metaph. c. 7. & 8. Intelligentias solam esse quadraginta septem, pro numero orbium celestium. Quam sententiam sequutus est Rabbi Moyses, ut idem S. Doctor testatur in hoc articulo. Verum plures multo esse, Scriptura plane dicit, Daniel. 7. Milia millium ministrabant ei. Ex quo loco colligit Dionys. cap. 14. de celesti hierarch. magnam Angelorum multitudinem. & Math. 26. Exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelorum, lob. 25. Quis numerus militum eius: Quae verba tractans Gregor. 17. moralium. cap. 9. inquit. Supernorum civium numerus infinitus est, & definitus exprimitur, ut qui Deo numerabilis est, esse hominibus innumerabilis demonstratur, Ceterum Rabbi Moyses his locis Scripturae responderet, Angelos ibi non vocari substantias spirituales, de quibus nunc disputamus, sed virtutes rerum irrationalium, aut etiam homines, & ita esse in magno numero. Verum expositio frivola est, tum quia, ut notavit S. Thom. virtutes rerum irrationalium nusquam in Scriptura Angeli dicuntur: & quamvis homines hoc nomine aliquando appellantur, locis tamen citatis, & alijs innumeris, quibus dicuntur Angeli esse in magno numero, de substantijs separatis a materia Scriptura manifeste loquitur. Porro Aristot. concessisse plures alias intelligentias, praeter orbium motrices, optime notavit Eugubinus lib. 4. de perenni philosophia c. 2. nam de caelo cap. 9. circa finem docet, extra caelum, aut supra verticem illius esse substantias separatas beatam vitam degentes: intelligit plane, praeter motrices orbium, quas 12. metaph. c. 8. eis assignauerat: has enim ipsis orbibus affixas esse putavit.

Obijciat tamen aliquis illud Tobiae 12. ubi dixit Raphael. Ego enim sum Raphael Angelus unus ex septem, qui adstant ante Dominum. Ex quo videtur colligi, Angelos non esse plures, quam 7. qui clara Dei visione perscrutantes ei adstare dicuntur. Respondent nonnulli ex doctrina Gregorij Magni homil. 25. in euangelia septenario numero in Scriptura significari vniuersitatem, & ita plures esse Angelos non modo ex superioribus. Hierarchijs, & ordinibus: verum etiam ex ordine infimo Angelorum, qui quotidie ad nos mittuntur. Verum licet in alijs Scripturae locis septenarius numerus pro magna aliqua multitudine ponatur: tamen hoc loco, & alijs omnibus, in quibus mentio fit septem spirituum, qui adstant ante dominum, & in vniuersam terram mittuntur, definitus numerus septenarius significatur. Hi autem sunt septem Angeli, qui, velut principes, vniuersae terrae praefecti sunt, ex quibus unus erat Raphael. Dicuntur autem adstare conspectui Dei, non quia alij non adstant: sed quia, cum ipsis sit cura vniuersi orbis demandata, nihilominus semper assistunt, & faciem illius intuentur. Dicuntur autem septem principes vniuersae terrae, & septem spiritus missi in omnem terram. Hos spiritus curam habentes vniuersi orbis se vidisse Ioan. testatur illis verbis, Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei. Eorundem facit mentionem. c. 15. 16. & 17. denique c. 1. de ipsis ait. Et de septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt. Eorundem merito putant recentiores aliqui significari Zachar.

mus autem, quod corpora incorruptibilia, quae sunt perfectiora inter corpora, excedunt quasi incomparabiliter secundum magnitudinem corpora corruptibilia. Nam tota sphaera actiuorum, & passiuorum est aliquid modicum respectu corporum coelestium. Vnde rationabile est quod substantiae immateriales excedant secundum multitudinem substantias materiales, quasi incomparabiliter.

Quaest. 11. Ad primum ergo dicendum, quod in Angelis non est numerus, qui est quantitas discreta, causatus ex diuisione continui, sed causatus ex distinctione formalium prout multitudo est de transcendentibus, ut supra dictum est.

Ad secundum dicendum, quod ex hoc quod natura Angelica est Deo propinqua oportet quod habeat minimum de multitudine in sui compositione. Non autem ita quod in paucis saluetur.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa Arist. in 13. Metaph. ex necessitate concluderet si substantiae separatae essent propter substantias corporales. Sic enim frustra essent immateriales substantiae, nisi ex eis aliquis motus in rebus corporalibus appareret. Non est autem hoc verum, quod substantiae immateriales sunt propter corporales: quia finis nobilior est ijs, quae sunt ad finem. Vnde etiam Arist. dicit ibidem, quod haec ratio non est necessaria, sed probabilis. Coactus autem fuit hac ratione uti: quia ad cognoscendum intelligibilia non possumus peruenire, nisi per sensibilia.

Ad quartum dicendum, quod ratio illa procedit secundum opinionem eorum qui causam distinctionis rerum ponebant esse materiam. Hoc autem improbatum est. Vnde multiplicatio Angelorum neque secundum materiam, neque secundum corpora est accipienda, sed secundum diuinam sapientiam diuersos ordines immaterialium substantiarum excitantem.

Conclusio art. est. Consentaneum rationi est substantias separatas a materia esse in maiori numero, quam corporeas. Circa textum articuli nihil video peculiari notatione dignum. Doctrinam autem illius sequenti disput. examinabimus.

DISPUTATIO CLXXX.

An multitudo Angelorum excedat numerum rerum corporearum.

Error de numero Angelorum. c. 1.

Non constat maiorem esse numerum Angelorum, quam corporum, cap. 2.

Plures esse Angelos, quam homines, cap. 3.

Zachar. 3. septem oculis, quos propheta vidit in lapide, hoc est, Christo, qui 4. cap. eiusdem prophetae dicuntur discurrere in vniuersam terram: tametsi Hieronymus & Rupert in eum locum Beda, Haymo, Ambrosius, Anselmus & Aretas in primum illud cap. Apocal. intelligant 7. dona Spiritus sancti. Nam & Ioan. Apocal. 5. sic videtur interpretatus similem visionem septem oculorum agni, *Qui sunt* (inquit) *septem Spiritus Dei, missi in omnem terram.* Quamuis ergo septem sint solum principes praefecti vniuersae terrae: plures tamen sunt non solum ex alijs Hierarchijs, & ordinibus: sed etiam ex infimo ordine Angelorum. Reliquum est, ut videamus, an multitudo Angelorum superet numerum rerum corporearum.

CAPUT II.

Non constet, maiorem esse numerum Angelorum, quam corporum.

4. Sanctus Thom. in hoc articulo constanter affirmat, Angelorum multitudinem maiorem esse numero rerum corporearum: cuius sententiam aliqui eius discipuli de numero indiuiduorum corporum intelligunt ita, ut Angeli numero excedant aënes maris, & minutissima quaeque corpora. Caietan. vero in hunc art. & Ferrariensis. 2. contragentes cap. 2. interpretantur S. Th. de numero specierum corporearum, non indiuiduorum: sic enim & ipse S. Doctor se explicasse videtur in eo capite, & quest. 6. de potentia art. 6. & in hac 1. p. q. 112. artic. 4. nam data opera semper dixit, maiorem esse multitudinem Angelorum, quam naturarum corporearum, nempe per naturas intelligentes species rerum, non indiuidua. Ego tamen non video aliquid certum in hac re aut ratione, aut auctoritate definiti posse. Non ratione quia cum numerus Angelorum ex sola Dei voluntate fuerit productus, nulla ratione, nisi ex reuelatione de eo constare nobis poterit. Quare Durand. in 2. 3. q. 4. nihil de hac re definire audeat, sed totus est in refutandis rationibus S. Thom. & aliorum, qui probant, maiorem esse Angelorum multitudinem numero aliarum rerum: quae facili negotio dissolui possunt. Neque auctoritate aliquid certum probare possumus: nam si aliqua esset, maxime ducit ut ex verbis subiectis licebit colligere: nam postquam dixit, Dan. 7. positum fuisse numerum illum millenarium, *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*, ut ostenderet Scriptura Angelos à nobis non posse numerari, adiungit, *Multi enim sunt Beati caelestium metrum exercitus, qui infirmum, & contractum numerorum corporearum, quibus utimur, modum superant, & transseunt, atque cunctis definitur à sola eorum summa caelestis intelligentia, quae eis feliciter conceditur à diuina sapientium essentia.* Quibus verbis non significat, esse maiorem multitudinem Angelorum numero corporum, sed eam numerari à nobis non posse quavis numeri multiplicatione, qua in rebus corporeis numerandis uti consueuimus, ut centenario, millenario numero, &c. hoc enim significat, cum dicit, *infirmum & contractum numerorum corporearum quibus utimur, modum.* Id est, breuem & paruum numerum, quo ad numerandas res utimur, non ergo de rebus numeratis, sed de numero ipso loquitur. Concedit tamen, ipsismet Angelis bene notam esse suam multitudinem, pro lumine sibi à Deo con-

cesso. Sic explicant posteriora verba citata Albertus, & Linconiensis in eum locum: quamuis Hieronymus de S. Victore ibid. ea referat ad Dei notitiam, cui ait esse notam multitudinem Angelorum: cuius tamen expofitio verbis citatis non quadrat.

CAPUT III.

Plures esse Angelos, quam homines.

Si numerum Angelorum multitudinem hominum comparemus adhuc res ita obscura manet, ut neque ratione, nec Scriptura, aut Patrum auctoritate certum de ea coniecturam facere possimus. Nam primum plures esse Angelos, quam homines, eo probari videntur, quo singula ciuitates, regna, aut saltem homines singulos habere Angelos in sui custodiam delegatos, ut infra disputat. 245. ostendimus; non est autem vero simile, eundem Angelum successiue diuersorum hominum curam habere: sunt ergo plures Angeli, quam homines: praeterim cum custodes Angelos, vtridem dicemus, ex infimo ordine inferiorum Hierarchiarum desumantur.

Refert etiam Dionysius, Carthusianus in illud cap. 14. reopag. de caelesti hierarchia, B. Brigittae fuisse celestium à Deo; ita esse plures Angelos, quam homines, ut vnicuique hominum decem possint in custodiam designari: mitto Angelos malos, quoru- iusdem naturae sunt cum bonis.

Verum plures esse homines, colligi videtur illo Apocal. 12. vbi dicitur Draco traxisse locum tertiam partem stellarum, hoc est, Angelos, qui ipsam imitari diaboli effecti sunt: hic autem rursus ea hominibus reparanda sunt, teste Aug. 22. de ciuit. c. 12. medio, & in Enchir. 128. 61. & 62. Beatus illud et Eph. 1. Proposuit restituere omniam Christi, Anselmus lib. 1. Cur Deus homo. c. 18. quamuis adiciat, futurum periculo oppositum posse defendi: ergo maior est hominum, quam Angelorum multitudo. Nihilominus cum quaestione hanc proposuisset Athen. in lib. 9. de Anisochium q. 2. iudeum reliquit, solum refert, quosdam asseruisse, Angelorum numerum maiorem esse, quam hominum; imo nonaginta nouem partibus excedere, quia dicebant parabola illa ouium, quas reliquit pascit in deserto, Luc. 15. significari multitudinem Angelorum: erant autem 99. vna autem illa ouis, qui pascit quae fuit, denotari homines: refert etiam, alios dixisse eundem esse numerum utroque iuxta illud Deuter. 32. *Constituit terminos populum iuxta numerum Angelorum Dei, sicut legant 70.*

Quare & ego censeo in hac re nihil certi haberi posse: minoris tamen momenti iudicio, quoque posteriori loco allata sunt. Dico ergo, etiam certum sit, sedes Angelorum supplendas esse ex hominibus: incertum tamen esse, an tot homines, eas sint asciscendi, quod Angeli ceciderunt. Quare Isidorus lib. 1. de summo bono c. 12. n. 13. cum docet, Angelorum numerum ex ruina malorum diminutum, supplendum esse ex hominibus: addidit, *hunc Soli Deo esse notum.* Tum etiam non constat, an fuerit tertia pars Angelorum, qui ceciderunt: nam illa tertia pars stellarum, quas de suo loco draco detraxit cauda sua, non significat Angelos, qui cum Lucifero ceciderunt: sed tertiam partem hominum, qui in Ecclesia Dei lucunt, sicut stellae: sic interpretantur locum illum Apocalypsi. 11. Richardus lib. 4. in apocalypsi. cap. 1. gloss. 1. & Nicolaus in eum locum. Beda autem explicat

explicat hominum, aut Angelorum, & ex contextu colligit ibi enim non describitur praelium inter bonos & malos Angelos in caelo: sed inter demonem, & homines fideles in Ecclesia, ut latius infra disputat 225. cap. 2. ostendimus. Pro priori vero parte nihil video esse alicuius momenti, præter Brigittæ reuelationem, cuius sanctitati multum deferendum est. Idem probabiliorē eam existimo. Si tamen aut testimonii Scripturæ, patrum, aut ratione sola agendum esset, nihil de hac re coniecere possemus, ut monstratum est. Vnde enī constare nobis posset, eundem Angelum in custodiam multorum hominum iterum atque iterum non delegari.

ARTICVLVS IIII.

Utrum Angeli differant specie.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod Angeli non differant specie. Cum enim differentia sit nobilior genere, quæcūque conueniunt secundum id, quod est nobilissimum in eis, conueniunt in vltima differentia constitutiuā, & ita sunt eadem secundum speciem. Sed omnes Angeli conueniunt in eo, quod est nobilissimum in eis, scilicet in intellectualitate. Ergo omnes Angeli sunt vnius speciei.

2. Præterea. Magis & minus non diuersificant speciem. Sed Angeli non videntur differre ab inuicem, nisi secundum magis, & minus: prout scilicet vnus alio est simplicior, & perspicacior intellectus. Ergo Angeli non differunt specie.

3. Præterea. Angeli & Angelus ex opposito diuiduntur: sed omnes animæ sunt vnius speciei. Ergo & Angeli.

4. Præterea. Quanto aliquid est perfectius in natura, tanto magis debet multiplicari. Hoc autem non esset, si in vna specie esset vnus tantum indiuiduum. Ergo multi Angeli sunt vnius speciei.

Sed contra est, quod in his, quæ sunt vnius speciei, non est inuenire prius & posterius, ut dicitur in 3. Metaph. Sed in Angelis etiam vnus ordinis sunt primi & medij, & vltimi, ut dixit Dionys. 10. cap. Angelicæ hierarch. Ergo Angeli non sunt eiusdem speciei.

Respondet dicendum, quod quidam dixerunt omnes substantias spirituales esse vnius speciei, etiam animas. Alij vero, quod omnes Angeli sunt vnius speciei, sed non animæ. Quidam vero, quod omnes Angeli vnius hierarchiæ, aut etiam vnius ordinis. Sed hoc est impossibile. Ea enim quæ conueniunt specie, & differunt numero, conueniunt in forma, sed distinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia & forma, ut dictum est supra: sequitur quod impossibile sit esse duos Angelos vnius speciei: sicut

Vasquez in 1. p. som. 2.

etiam impossibile esset dicere, quod essent plures albedines separatae aut plures humanitates; cum albedines non sunt plures, nisi secundum quod sunt in pluribus substantiis. Si tamen Angeli haberent materiam, nec sic possent esse plures Angeli vnius speciei. Sic enim oporteret quod principium distinctionis vnius ab alio, esset materia: non quidem secundum diuisionem quantitatis, cum sunt incorporei, sed secundum diuersitatem potentiarum. Quæ quidem diuersitas materiæ causat diuersitatem speciei & generis.

Ad primum ergo dicendum, quod differentia est nobilior genere: sicut determinatum indeterminato, & proprium communi, non autem sicut alia & alia natura. Alioquin oporteret quod omnia animalia irrationalia essent vnius speciei, vel quod esset in eis aliqua alia perfectior forma, quam anima sensibilis. Differunt ergo specie animalia irrationalia secundum diuersos gradus determinatos naturæ sensitiuæ. Et similiter omnes Angeli differunt specie secundum diuersos gradus naturæ intellectiue.

Ad secundum dicendum, quod magis & minus secundum quod causantur ex intensione & remissione vnius formæ, non diuersificant speciem. Sed secundum quod causantur ex formis diuersorum graduum, sic diuersificant speciem: sicut si dicamus, quod ignis est perfectior aere. Et hoc modo angeli diuersificantur secundum magis & minus.

Ad tertium dicendum, quod bonum speciei præponderat bono indiuidui. Vnde multo melius est quod multiplicentur species in Angelis, quam quod multiplicentur indiuidua in vna specie.

Ad quartum dicendum, quod multiplicatio secundum numerum cum infinitum protendi possit, non intenditur ab agente, sed sola multiplicatio secundum speciem, ut supra dictum est. Vnde perfectio naturæ angelicæ requirit multiplicationem specierum, non autem multiplicationem indiuiduorum in vna specie.

CONCLUSIO est, ita verum est, omnes Angelos esse diuersæ speciei atomæ, ut impossibile sit, sub eadem specie esse plures Angelos numero sibi differentes. Tota difficultas præsentis articuli consistit in hac conclusione, quæ sequenti disput. expendenda est.

DISPV T. CLXXXI.

An singuli Angeli suapte natura specie differant.

Dua opiniones sancti Thomæ, & discipulorum eius. cap. 1.

Dua alia Scholasticorum sententia, 2.

Probabilior sententia est, Angelos quidem solo numero differre posse: an vero nunc ita differant, occultum est. c. 3.

Na

CAP.